

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis**

**Jonston, Jan**

**Amstelodami, 1661**

Caput XXXVI

**urn:nbn:de:bsz:31-97032**

*Rex nostræ volucelle vocis alma.*

*Dulci Turdula docto gutturillo.*

*Torquilla*, Iinx alias dicitur. Linguz illi aculeus tam acutus, ut humanam cutem haud aliter ac acicula penetret. Ea infra arteria summum subit, & super cranium reflexa, prope nares inferitur. Est autem gemina, ubi ab occipitio reflecti incipit, & in sincipite rursus utraque partes conveniunt. Digitorum talis constitutio, ut ubique longior alter cum brevior altero jungatur.

### CAPUT XXXV.

#### DE VROGALLO.

*V*rogallus in altissimis montium versatur jugis, Germaniam & Septentrionalia loca præcipue amat. De ejus coitu portentosa scribit *Encelius lib. 3. de Lapid. c. 54.* Gallus quippe hujus speciei sperma ex ore coitus tempore in vere excreat & evomit, & voce magna advocat gallinas ipsas, quæ sperma ejectum ore legunt, ac deglutunt, ac tali modo concipiunt. Illas postea gallus comprimit, & quasi ratum facit semen comestum. Super quas gallinas non ascendit, illæ ova hypenemia pariunt. *Olaus Magnus* scribit in septentrione Vrogallos minores sub nive duobus aut tribus mensibus latitare. In Ponto vero ajunt per hyemem aves quasdam reperiri, quæ neque excernant, neque cum pennæ eis avelluntur, sentiant, neque cum veru transfiguntur, sed tum demum cum ab igne incaluerint. Vix verum. Grygallus major adeo surda est avis, ut ne bombardæ sono abigi possit.

### CAPUT XXXVI.

#### DE VESPERTILIONE.

*V*espertilionem *Plato* vocat avem non avem, Vallæ semimurem. Amat cavernas & meatus subterraneos.

neos. In Apennini speluncis aliquod millia stabulantur. Formatos pullos parit: nati musculis recens natis sunt similes, glabri plane & nudi, infantis humani instar. Fætus nutrit lacte admotos uberibus, eosque intra regulatum præsertim ejicit hiatus. Hi matris uberibus adeo adherent, ut nec à mortua divellantur. Illa secundo à partu die ad pastum provolat, & interim decorat secundinas. Interdum è putri materia gignitur, *Frisius* certe ab aëris morbida excretionè nasci asserit. Volat alis pellitici; seu, ut *Isidorus* ait, brachiorum membranis suspensus, volatu tortuoso, nec longe à terra. Fessus hamis digitulorum se appendit, quorum rudimenta in mediis alis habent. Volat etiam geminos implexa infantes. Cibus illi culices, muscæ, lardum, succidiam à lacunari suspensam ita exedit, ut in excavata scrobe stabuletur. In regionibus calidis hominum invadit facies. In Dariene novi orbis provincia Hispanos noctu infestavit, gallum & gallinam comprehendit, gallum mortu interemit. *Martyr. Pompilius Azalius* narrat apud Indos Orientalis regione quadam tam immanes esse, ut homines transeuntes alis prosternant. Argumentum hujus esse cadavera tota jacentia valle. Contactu vespertilionis Ciconiæ sterile scunt ova, nisi platani foliis in nidum positis sibi caverit, Hedera odore & suffitu perimitur. *Alian de animal.* Locustæ locum subjectum minime transvolabunt, ubi quis vespertiones clarioribus arboribus suspenderit. Morsus ejus aqua marina vel alia calente aut cinere fervente, quantum tolerari potest, tollitur. *Strabo* autor est, in Borsippa urbe Babylonæ, ubi majores sunt quam in cæteris locis, in esum condiri. Sic & in Insula S. Iohannis fervente exilantur aqua, fiuntque quales apud nos pulli deplumari, carne admodum candida. Ab incolis etiam Insula Cagigan in mari del Zur sita, elitantur, aquilæ magnitudine, gallinæ sapore. *Scalig. Exercit. 2 36. sect. 3.*